



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Vtrum character Ordinis supponat characterem Confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ordinarium iustificationis impij, quam per Sacramentum, vel veram contritionem cum voto Sacramenti. Sicut enim non pertinet ad diuinam prouidentiam supplere defectum causarum naturalium, quando illæ causæ defunt, sed procurare vt ordinariè non desint; ita non pertinet ad eam supplere effectum Sacramentorum, quando ipsa Sacramenta reuerà non existunt, sed procurare vt omnia necessaria ad ipsa ordinariè adsint. Quod si aliquando permittat aliquid abesse quod necessarium est ad substantiam Sacramenti, non est existimandum statim eius effectum supplere; sed eodem iudicio, quo permittit vt aliquid ad substantiam Sacramenti requisitum desit, permittit etiam eius effectum abesse.

DVBIUM II.

Virum Character Ordinis supponat Characterem Confirmationis?

19 **R**espondeo: Non necessariò supponere. Vnde, si non confirmatus ordinetur, verè accipiet characterem & potestatem Ordinis: cuius exemplum habemus in Apostolis, qui ordinati sunt in cœna, sed confirmati in Pentecoste. Consentaneum tamen est, vt ante ordinationem sit confirmatus; non enim decet, vt in Ecclesia assumatur quis in ducem, qui in ea nondum adscriptus est in militem.

Non est mortiferum ordinari ante confirmationem.

Aduerte tamen: Non videri peccatum mortiferum, si ante confirmationem ordinis, quamuis id à veniali negligentia excusari vix possit, vt communiter Doctores, Sotus, Victoria, & alij. Nec obstat Concilium Trident. sess. 24. cap. 4. De reformatione, quia præceptum eius nõ dirigitur ad ordinandos, sed solum ad Episcopos, quibus prohibet ne ordinent nondum confirmatos.

DVBIUM III.

Virum Character unius Ordinis supponat Characterem alterius?

20 **R**espondeo: Non supponere. Vnde si quis ordinetur Sacerdos, qui ante non erat Diaconus vel Subdiaconus, ordinatio tamen est valida. Ratio est; quia Ordines non habent necessariam inter se dependentiam, præter Episcopatum, qui necessariò supponit Sacerdotium; vt infra. c. 4. Dub. 1. nu. 33. dicemus. Notandum est; quod ait D. Thomas, q. 35. art. 5. *Ordinem superiorem virtute in se continere Ordinem inferiorem.* Vnde, qui per saltum ordinatus est Sacerdos, habet potestatem, quæ datur per Ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus, & per alios inferiores. Imò initio nascentis Ecclesiæ, Minores ordines, Diaconatus, & Subdiaconatus, non dabantur passim omnibus Sacerdotibus, sed solum sacerdotium; vt notat D. Thomas.

Eam tamen exercere non potest.

Aduerte tamè circa hæc Primò: eos, qui ita per saltum ordinati sunt, iure Ecclesiastico esse suspensos ab executione illius Ordinis, & etiam quodammodò Irregulares, sic vt nec Ordinem omissum, nec vltiorem, sine dispensatione possint suscipere.

Potest in eo dispensare Episcopus.

Aduerte Secundò: Episcopum posse dispensare, tum vt Ordinem omissum suscipiant, tum vt etiã

ante per saltum accepto vtantur, tum vt ad vltiorem ascendant; si tamen ante dispensationem non ministrauerint, vt inquit Concilium Trident. sess. 23. cap. 14. De reformatione. Vide Nauar. cap. 25. nu. 71. & cap. 27. n. 242.

CAPVT III.

De distinctione Ordinum.

DVBIUM I.

Quos sint Ordines?

Respondeo: Ordines Ecclesiastici sunt septem numero. Nempe: *Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum.* Est contra hereticos huius ætatis, qui solum agnoscunt tres Ordines, scilicet: *Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum,* eò quod horum trium dumtaxat fiat mentio in Scripturis; reliquos volunt non esse Ordines, sed ministeria Ecclesiæ, ad quæ sine vlla mystica Ordinatione pro arbitrio Episcoporum, idonei homines assumebantur. Sed

Probatur: Quia Patres iam inde ab initio Ecclesiæ horum Ordinum meminere. D. Ignatius Epistola ad Antiochenos: *Saluto, inquit, sacrum Presbyterorum catum: saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Cõfessores.* Hic enumerat omnes Ordines, præter Acolythum. Et addit duo officia, quæ non sunt Ordines, nempe *Cantores, & Laborantes,* id est, *sepelientes mortuos.* Et præter hos addit *Confessores,* id est, qui Christi nomen coram Magistratibus confessi erant. Cornelius Papa epistola ad Fabianum, quam refert Eusebius lib. 6. cap. 3. dicit, *In Ecclesia Romana suo tempore, id est, circa annum Domini 254. fuisse Presbyteros quadraginta sex, Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolythos 42. Exorcistas & Lectores, cum Ostiarijs simul 52.* Hic enumerat septem Ordines. Ijdem numerantur in Concilio Romano priore sub Siluestro I. §. *Si quis,* vbi etiam tempora præscribuntur, quamdiu in singulis Ordinibus versari oporteat. Et in posteriore sub eodem Siluestro cap. 3. ijdem numerantur. Concilium Carthaginense IV. cui interfuit D. Augustinus, à capite 2. vsque ad 9. non solum enumerat prædictos Ordines, sed etiam singulorum ritum exponit. Idem sentiunt reliqui Patres & Doctores Scholastici.

21 Septe sunt Ordines.

Probatr. ex SS. Patribus.

Ignatius.

Cornelius.

Concil. Romanũ I.

Concil. Carthagin. IV.

Ratio huius numeri evidens adferri non potest. Congruentia tamen, quam habent Doctores, est valde bona. Numerus enim Ordinum accipiens est ex diuersis functionibus ad Eucharistiam destinatis, quæ est omnium Sacramentorum vertex. Hæ autem functiones sunt septem, è quibus quatuor directè pertinent ad ipsum Sacramentum, tres ad dispositionem suscipientium. Prima ad Sacramentum pertinens, est *Eucharistia consecratio;* ob hanc functionem est *Ordo Presbyterij.* Secunda, est *eius administratio;* ob hanc est *Ordo Diaconatus.* Tertia, est *preparatio materia in vasis sacris;* ad hanc functionem est *Subdiaconatus.* Quarta, est *presentatio materia ad altare:* ad hanc est *Ordo Acolythi.* Tres reliquæ functiones pertinent ad disponendos suscipientes, qui sunt immundi. Triplex est enim genus immundorum. Quidam enim sunt *infideles;*

22 Ratio huius Septenarij.

Ordinum singulorum functiones.